

mentis cultores promotione admonitus Magnum nostrum STRAUCHIUM, Virum supra omnem invidiam & laudem positum, tuo maximè auspicio, tum rebus dextrè gerendis, tum ipsis artibus studiisque realibus ornandis, huc reservasti, ut non tantum Republica nostra literaria, sed universa prope modum Saxonia, tantæ eruditionis Heroem sibi hodiernum gratulari possit. TE igitur summoque STRAUCHIO, Castore scilicet & Polluce, Ducibus, sub Serenissimo Phœbo nostro, cur non benignissimo navigabimus eventu? Symplegadum & quorumcunque scopulorum longè securi? Vestro subfidere omnes novercantis fortunæ solœcismos alacriori mente ridebimus, salutemque nostram, si ita vobis visum fuerit, prolixâ spe pleni uberius educabimus. Accipe interim, Mœcenas Generosissime, exiguum hoc observantiæ nostræ tributum, quod ad summam virtutum Tuarum aram manu exponimus devotissimâ. Accedat hoc ceteris laudibus Tuis exquisitissimis, quod, cum neminem à Te spernas, etiam vile hoc munus non dedigneris. Cetera licet nimiam tenuitate exclusi præstare prohibeamur, vigebit tamen in nobis rediviva semper memoria virtutum tuarum, quas si non prædicare satis, admirari saltem lustinebimus im-